


gr: erud.  
647,28  
1







CAROLI CHRISTIANI WOOG  
ART. MAG.  
DE  
VITA ET SCRIPTIS  
THOMAE WOOLSTONI  
COMMENTATIO



---

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIANA,  
M DCC XXXIII.

*Vitt. Eud. fing. - Vol. Wo - Wy*

*St. lit. 110.*



~~DOOW INAITSIHO HORAQ~~  
ART. TRA  
VIRIS CLARISSIMIS  
DOCTISSIMISQVE  
AVG. TRAVGOTT FRITSCHIO  
IOANNI GOTTLIEB THENIO  
GOTTLOB POLYC. KOEHLAVIO  
DRESDENSIBVS  
CHRISTIANO ZIEGRA  
HAMBVRGENSI  
SS. THEOLOGIAE CVLTORIBVS PERINDVSTRIIS  
SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES  
IN ACADEMIA LIPSIENSI  
D. IX. KAL. MART. MDCCXXXIII REPORTATOS  
SVO ET CONVICTORVM NOMINE  
QVI SVMME REVERENDI HEBENSTREITII  
HOSPITIO GAVDENT

GRATVLATVR

A V C T O R.





**VIRI CLARISSIMI,**

**FAVTORES ATQVE AMICI SVA-  
VISSIMI,**



omnis gaudii nostri de honore in vos hodie collato, quem Vestra vobis peperit eruditio, constituor interpres, nomineque convictorum benevolentiae et amoris nostri erga vos tesseram exsoluere iubeor; cui quidem honestissimo desiderio eo libentius locum relinquo, quo magis adhuc optavi, ut mei in vos studii atque amoris, cuius omnis ratio in virtutibus Vestris eximiis est posita, exstaret aliquod monumentum. Constitui hac simul occasione quaedam de vita et scriptis THOMAE WOOLSTONI in medium proferre breuiter; dicatas enim vobis paginas honorificis verbis, blandaque tantummodo vanitate replere

A 2 non





non displicet tantum, sed et Vestra prohibet modestia. Maiorem itaque in modum vos obtestor, Viri Clarissimi, ut hanc opellam mente eadem, qua Vobis offertur, accipere haud recusetis, quam amicam, beneuolam atque sinceram esse exploratum habebitis.

Operae itaque pretium me facturum credo, si de vita eiusmodi viri quaedam in medium attulero, qui scriptis suis omnium non tantum apud suos in se conuertit attentionem, magnarumque turbarum auctor exstitit; sed et qui exteris quoque innotuit, et ingentem scriptorum numerum contra se in aciem prodire fecit; quique et nobis iamiam notus imo notissimus est S. R. IOECHERI, <sup>a)</sup> Patroni atque Praeceptoris nostri omni veneratione dignissimi, cura atque industria, quae communem Reipublicae litterariae adplausum non tulit tantum, sed et meruit. Ast forte miramini, Clarissimi Viri, quare de argumento a tanto Viro iam tractato iterum exponere instituerim? Rem actam denuo agere, et, quod in prouerbio dici solet, Iliada me post Homerum canere praeter dubium Vobis videbor. Verum nolite existimare, AMICI, crambem tantum biscoctam VOBIS adponi prorsus. In Anglia enim cum versaremur, omnia non tantum WOOLSTONI scripta nobis comparasse contigit, sed et incidit fortuito in manus nostras libellus haud magnae quidem molis, non semper tamen obuius, et extra oras felicissimae huius insulae parum visus, qui Anglico sermone de vita TH. WOOLSTONI exponit, quem inspicere et inde curatius multa edoceri sibi non fuisse datum Summe Reuerendus IOECHERVS <sup>b)</sup> fatetur. Et sic largissimis diuitiis, quas Vir Summus in dif-  
ferta-

<sup>a)</sup> Dissertationum triga, quae Lipsiae 1734. prodit, et THOMAE WOOLSTONI de miraculis Christi paralogismos examinat.

<sup>b)</sup> Dissert. III, pag. 47.





sertationibus suis contra WOOLSTONVM prodiga manu adposuit, vnum forte alterumue teruncium addere potero, nec ex meis quidem, sed ex alienis adhuc opibus potero.

Prodiit autem haec vitae WOOLSTONI historia Londini 1733 in forma octopartita hoc titulo: *The Life of Mr. Woolston with an impartial Account of his Writings*. Auctor nomen suum reticuit, et animum a partium studio alienum pollicitus quidem est in frontispicio; ast legentem ipsam narrationem dubitare prorsus non facit, se fuisse WOOLSTONI amicissimum, vt sic iudicium, quod Auctores Bibliothecae Britannicae c) de hoc schediafmate tulerunt, non possim non probare. THOMAM STACKHOUSE quendam, si recte memini, auctorem esse, narratum mihi fuit in Anglia a non nemine. Perinde tamen esse potest quodcunque tandem ille gesserit nomen; ex eo potius quaedam nunc referam, omnibus forte minus adhuc nota, exactum insuper scriptorum WOOLSTONI catalogum annexurus, ad nostri caeteroquin auctoris anonymi hinc inde adiecta iudicia prorsus non attendens.

Natus est TH. WOOLSTONVS Northamptoniae 1669. patre mercatore huius vrbs non vltimo, qui eum cum cura educatum in Academiam Cantabrigiensem deduxit, vbi in Collegio Sidney Suffexensi d) litteris operam dedit, et post

A 3

annos

a) Ita autem iudicarunt: *Vn de ses amis a publié une histoire de sa vie et de ses ouvrages, et il est aisé de voir, qu'elle vient d'un ami, car elle est extrêmement flattée.* Vid. *Bibliothèque Britannique* Tom. I, p. 245.

d) Collegium hoc nomen accepit ab Illustrissima Francisca Sidney Comite de Suffex, quae anno 1598. illud fundauit, tantamque pecuniae summam ex testamento legauit, vt non tantum extruendo huic magnifico aedificio ea sufficeret, sed et residuum adhuc faceret, quo viginti quotannis alumni ali, duodecim socii et vnus praepositus laute haberi possent. Vide *James Beeverell. A. M. delices de la Grande Bretagne et de l'Irlande*, quae Leidae VIII. vol. in 8. 1727. seqq. prodierunt, Tom. I, pag. 137. vbi huius quoque collegii facies aeri incisa exhibetur. Educati in eo fuerunt praeter multos alios duo imprimis celeberrimi





annos lege statutos <sup>e)</sup> per praeuios gradus ad primam in Theologia dignitatem fuit euectus, summam quoque petiturus, si facultates eius id tulissent. <sup>f)</sup> In numerum etiam sociorum huius Collegii fuit electus, et sic annuos quosdam obtinuit redditus, haud dissimiles collegiaturis nostrae Academiae, qui ad annum 1721. ei fuerunt soluti, quo e numero sociorum iterum fuit eiectus, non quidem ob absentiam et ob intermissum in collegio domicilium, quod Auctor meus et S. R. IOECHERVS perhibent; sed ob scripta tunc iam edita, de quo ipse Woolstonus conquestus est in epistola quadam ad Whistonium. <sup>g)</sup> Ob alibi enim constitutum domicilium (*Non residence*) neminem ab eiusmodi beneficio excludi posse, certo certius mihi constat; sed ad mortem potius usque illo frui licet singulis, dummodo caelibes maneant, collegio

berrimi Viri TH. GATAKERVS et SAM. WARD. Confr. *Bentham's Englischen Kirchen und Schulen Staat* pag. 498. Edit. Mentzerianae.

e) Quicumque primo in Theologia gradu ornari cupit XIV. annos in Academia egisse tenetur. Ante quatuor enim in ea transactos non potest renunciari Artium Baccalaureus, post tres demum alios potest creari Magister; et qui deinde in Theologia Baccalaureus proclamari cupit, praeter hos septem aliis adhuc septem annis de hac dignitate mereri tenetur, quibus tandem adhuc addendi sunt quatuor, priusquam ad summum in Theologia honorem adspirare licet. Vide, si placet, *The present State of Great Britain and Ireland Tom. I, pag. 25. et 65. et Parecholas, siue excerpta e corpore statutorum Vniuersitatis Oxoniensis Tit. IV. et Tit. IX. pag. 125.* Edit. Oxon. de anno 1691.

f) Expensae enim quae huic honori consequendo impendendae sunt ultra 100 libras Anglicanas assurgunt, quemadmodum pro summis in Philosophia honoribus soluendae ad 30 lib. Obseruandum tamen est, membra Academiae, in quae eiusmodi beneficia fuerunt collata, non teneri ad summos adscendere honores quemadmodum tenentur ad primum vnus e tribus altioribus facultatis capeffendum gradum.

g) His verbis: *And I could tell a Story too of Sufferings; particularly, of my being deprived of my Fellowship for my late Writings.* In dedicatione meletematis cuiusdam, quod *a defence of the miracle of the thundering Legion* inscripsit, pag. IV.



\* \* \*

legio non dedecori sint, et subinde officia sacra in aede Collegii ipsi peragant, licet longissime et per fatis longum tempus a collegio aliquando absint.

Anno 1705. primum in publicum prodiit noster opere quod inscripsit Defensionem veritatis religionis Christianae contra Iudaeos et Gentiles, <sup>h)</sup> quo probare annitur Mosem actionibus suis singulis Christum eiusque Ecclesiam praefigurasse typice, patrumque auctoritate, cui multum sane tribuit, euincere conatur, eas quoque a primitiua Ecclesia non proprie, sed semper tanquam typos futurorum sub Christo temporum fuisse intellectas. Ad duo capita tractationem suam reuocauit; in priori contra Iudaeos demonstrat, Christum prophetam quemadmodum Mosem fuisse et tot tantaque miracula in Imperio Romano edidisse, quot et quanta Moses in Aegypto, praeterquam quod gentiles et Imperatores Romani quemadmodum Pharaon et Aegyptii non fuerint submersi in mari rubro: deinde contra gentiles euincit Deum abunde et optima, quae concipi poterat, ratione diuinam Christi auctoritatem ipsis manifestasse, vt nihil prorsus excusationis habeant de persecutionibus suis, et de non prius agnita veritate religionis Christianae. Huius scripti caeteroquin vtramque, vt aiunt, paginam cumulatissimis veterum excerptis exornauit.

Ab eo tempore vsque ad annum 1720. nihil edidit, vitam in Collegio agens priuatam, studiisque diuinioribus et patrum imprimis lectioni vnice dicatam, donec hoc anno dissertationem *de Pontii Pilati ad Tiberium Epistola circa res Iesu Christi gestas*, Latino sermone conscriptam publici iuris

h) *The old Apologie for the Truth of the Christian Religion against the Jews and Gentiles revived etc.* Cantabrigiae 1705, in 8. paginas 384. complectens.



iuris faceret, <sup>l)</sup> sub fictitio MYSTAGOGI nomine latens. Inscriptit hanc opellam lectu admodum iucundam Reuerendissimo tunc Cantuariensium Archi-Episcopo GVILIELMO WAKIO, seque ab exteris aduenam simulauit. Arguentur in ea potissimum contra LVDOV. DUPINIVM, atque rationibus haud infirmis demonstrat, Pilatum utique epistolam de rebus a Christo gestis ad Tiberium Caesarem misisse, licet illam, quae iam sub eius nomine extet, spuriam atque supposititiam censeat.

Successit huic dissertationi eodem adhuc anno aliud scriptum Latinum hoc titulo: ORIGENIS ADAMANTII RENATI *Epistola ad Doctores WHITBEIVM WATERLANDVM, WHISTONIVM aliosque literatos huius saeculi disputatores circa fidem vere orthodoxam et scripturarum interpretationem.* <sup>k)</sup> In hac epistola nomine Origenis reprehendit viros istos celeberrimos, quod ad patres tanquam optimos Scripturae Sacrae interpretes quidem prouocent, nihilominus tamen sententias ipsis prorsus contrarias defendere, litteraeque sensui, cui valde contrarius est noster, nimis tenaciter inhaerere non erubescant. Eos propterea errorum nonnullorum arguit, quos ex Origenis potissimum scriptis refellit, et adhuc modeste satis; ad minimum non tam pingui Minerua eos perstringit quemadmodum in *Epistola secunda*, <sup>l)</sup> quae paullo post secuta est, ipsi placuit. Plaustra enim conuiciorum, ut aiunt, in viros hosce meritissimos congeffit in hac sua altera Epistola; ut exinde auctoris nostri Anglici summum partium studium intelligere potuerim haud obscure, qui (*some pleasant Rallery's*) facetos quosdam sales

i) Prodiit Londini 1720. in 8, pagg. 36. inter scripta WOOLSTONI hoc longe rarissimum est.

k) Londini impressa est, in forma octopartita et pagg. 35. implet.

l) Prodiit ibidem et pagg. 38. occupat.





sales tantum huic Epistolae adspersos esse iudicauit. WHIT-  
 BEI commentarios in N. T. lectione indignos, manus in-  
 quinantes et oculos offendentes pronunciauit; tales, quas ille  
 protulit, interpretationes tempore olim Origenis stercorea,  
 olfactui et gustui spirituali animae ingratiſſima vocatas fuiſſe  
 aſſerit; eumque cum aliis Theologiae Doctoribus, spiritua-  
 lis ſcripturae ſenſus aequae ignaris, ſutoribus comparat, qui  
 haud ſecus ac illi fruſtula et fragmenta litterae vna conſuant  
 in vſum pedum Eccleſiae, atque ex eo, quod imperite hoc  
 faciant, *Cobleatores* h. e. ſutores imperitos, merito eos vo-  
 candos cenſet, inhumanum ſuum ingenium barbara quoque  
 voce teſtificans. Vt nihil iam amplius addam de Whiſtonii  
 et Waterlandi compellationibus non vtique honoris cauſa  
 factis, quorum vltimum, puerili ſane acumine, quod nomen  
 ſcilicet paludoſum ſonet, animalibus reptilibus adnumerare  
 tantum non dubitat. Quodſi eiufmodi ruſticitatem face-  
 tias atque ſales vocare licet, vellem ego inhumana verba at-  
 que obiurgia ex mente auctoris mei Anglici audire.

Sed pergendum eſt ad aliud ſcriptum, quod eodem ad-  
 huc anno prodire fecit, Epistolam ſcilicet ad D. BENNE-  
 TVM, quae quaestionem expendit, annon Quackeri, prae  
 reliquis religionum ſectis, quoad credenda et agenda proxi-  
 me omnium accedant primitiuae Eccleſiae? per ARISTO-  
 BVLVM. <sup>m)</sup> In hoc ſcripto non amplius in ſingulos tantum  
 viros, ſed in vniuerſam Eccleſiam Anglicanam debacchatur,  
 Quackerorum abſurdiſſimam religionem defendere conatus.  
 Prouocatus potiſſimum fuit ad hoc negotium ab *Oraculo*

B *Delphi-*

m) *A Letter to the Reverend Dr. BENNET, Rector of St. Geles Crip-  
 plegate, upon this question: whether the Poeples call'd Quackers, do not the  
 neareſt, of any other Sect in Religion, reſemble the Primitive Chriſtians  
 in Principles and Practice? by ARISTOBVLVS. London. 1720. 8.  
 pagg. 63.*



*Delphico*, quod scriptum tunc singulis septimanis edebatur, in quo ad quaestionem propositam, quaenam ex duabus hisce religionibus, Quackerorum nempe et Pontificiorum, alteri iure praefenda sit, hanc inuenerat responsionem, male ipsum habentem, Papistas esse Christianorum, quemadmodum Quackeros Ethnicorum omnium pessimos.

Post aliquot menses, anno nempe 1721, secuta est altera ad D. BENNETVM Epistola, <sup>n</sup>) in qua Apostolorum et Patrum primitivae Ecclesiae contra litterae ministros, et huius aevi commentatores litterarios, allegoricas legis Mosaicae interpretationes defendit. Quibus binis litteris Woolstonus ipse mox subiunxit earum refutationem sub larua Pastoris pagani, <sup>o</sup>) sed ita ut unusquisque facile perspicere possit, auctorem huius schediafmatis non contra Quackeros sed contra longe alios viros in aciem processisse. In omnibus enim tribus hisce scriptis contemptim adeo de Ecclesia Anglicana loquitur, ut mirum prorsus non sit, eum hanc ob causam e numero Sociorum Collegii Sidnei hoc anno fuisse eiectum, beneficioque priuatum. Fratris nunc munificentia ipsi viuendum erat, qui Northamptoniae senatorio munere fungebatur, ipsique triginta per annum libras soluebat. Non exiguas praeterea pecuniae summas lucrari potuif-

n) *A second Letter to the Reverend Dr. BENNET in Defence of the Apostles and Primitive Fathers of the Church, for their Allegorical Interpretations of the Law of Moses, against the ministers of the Letter, and Literal Commentators of this Age. Literam legis sequentes in infidelitatem et vanas superstitiones incurrunt. Origen. BY ARISTOBVLVS, London pagg. 58.*

o) *An Answer to ARISTOBVLVS's two Letters to Dr. BENNET: or a Vindication of the Orthodox and Learned Clergy of the Church of England, from those Scurrilous and Scandalous Reflections he has cast on them. By a COUNTRY CURATE. London, 40. pagg. Huius scripti nulla ad S. R. IOECHERYM, cum suas ederet dissertationes, peruenisse videtur notitia.*





potuisset WOOLSTONVS ex frequenti scriptorum suorum venditione, nisi bibliopolis omnes restituisset expensas, quas pro impressione et saepe etiam pro venditione eorum multae loco facere tenebantur, quod auctor noster anonymus inter alios probi eius animi characteres retulit.

Anno 1722 tractatum edidit de opportuno maxime, quo Christus hominem induit tempore, ex ratione contra Gentilium olim et infidelium hodie obiectiones demonstrato. <sup>p)</sup> In hoc scripto primum euincit, longam annorum et saeculorum seriem Christi natiuitatem antecedere necessario debuisse; secundo probat, illud tempus, quo demum Christus in mundum venit, omnium fuisse maxime opportunum; et tertio tandem Dei vindicat benignitatem ab obiectione, quod Christi aduentum, vtut ad salutem aeternam vnice necessarium, tam diu distulit, nec citius eum accelerauit. Hoc scriptum viginti annos ante tanquam specimen in Collegio iam iam elaborauerat, et post quatuor demum lustra prodire fecit, sua caeteroquin laude haud indignum. Grauiori enim stylo vtitur, et a ludicra sua scurrilitate abstinet. Forte hoc scripto fauorem sibi in Collegio Sidney Sussexensi, cuius Praesidi D. Fishero id etiam dedicatum est, conciliare, et in numerum sociorum recipi iterum voluit.

Ast ad pristinam mox relapsus est insaniam, imo in deterius ruit; quod foetus, cuius nunc mentio est instituenta, et quem *Donum gratuitum Clero oblatum* <sup>q)</sup> adpellauit,

B 2

fatis

p) *The exact Fitness of the Time, in which Christ was manifested in the Flesh, demonstrated by Reason against the objections of the old Gentiles, and of modern Unbelievers, London in 8. pagg. 104.*

q) *A free-Gift to the Clergy: or the Hireling Priest of what Denomination soever challeng'd to a disputation of this Question, whether the Hireling Preacher*



fatis superque probat. Quid nigrum huius tractationis contineat, statim ex rubro potest cognosci: subobscuri enim prioris tituli hanc mox subiungit paraphrasin prorsus non ambiguam: *Donum Clero gratis oblatum*; siue omnibus pastoribus mercenariis, cuiuscunque demum sint conditionis, facta ad disputationem prouocatio, super hanc quaestionem, annon sacerdotes huius aevi mercenarii, per quos omnes litterae ministri intelliguntur, bestiae Apocalypticae cultores sint, et Anti-Christi ministratores? dignissimam quae hisce potissimum apostasiae temporibus ventiletur, in quibus

fugere pudor, verumque fidesque  
In quorum subiere locum fraudesque dolique  
Insidiaeque et vis, et amor sceleratus habendi.

Litterae ministris eximia haec, si Diis placet! lucubratio dedicata est. Si quaeratur quinam sint illi? melius non potero respondere, quam integram dedicationem apponendo, quae ita sese habet: Reuerendissimis Archi-Episcopis, nec non Episcopis admodum Reuerendis, et vniuerso Ecclesiae Anglicanae Clero, aliisque cuiuscunque nominis litterae ministris dissertationem hanc, pro vere Euangelico *Spiritus* legis ministerio pugnantem, lubentissime dat donatque THO. WOOLSTON. Immo tam mirifice sibi placuit hoc opusculo, vt aliquo loco etiam ponere non erubuerit, se credidisse, se ad minimum ob hoc ipsum scriptum ad Archi-Episcopi Cantuariensis dignitatem iri euectum.

Ob  
*Preachers of this Age, who are all Ministers of the Letter, be not Worshipers of the Apocalyptical Beast, and Ministers of Anti-Christ? Very fit to be debated in these later Times of the Apostacy.* London in 8. Sub hoc titulo quatuor fasciculi fuerunt editi, Ius 1722. pagg. 78. IIus 1723, sub anni initium pagg. 78. IIIus mense Septembr. eiusdem anni 1723. pagg. 80. et IVtus pagg. 78, 1724 mense Iunio.



Ob vix credendam caeteroquin maledicendi copiam et varietatem hoc scriptum lectionem meretur, et si quis vellet Clero hic iniusta opprobria atque contumeliosa verba in vnum colligere <sup>r)</sup>, posset ea iuxta diuersas in Alphabetho litteras non disponere tantum, sed et voces ad singulas litteras pertinentes in Anglicas Latinas et Graecas iterum dispescere, ita, vt si quis forte Clericis conuitiandis Lexicon vellet componere, hoc auctore classico posset carere minime. Quatuor, quod in nota obseruatum fuit, egregii huius meletematis prodire specimina, in quorum singulis Clerum Anglicanum ludibrio habet, eumque ceu alter Philistaeus ad certamen sesquipedalibus verbis prouocat. Sed cum nullus Isaei filius prodire vellet, ipse iterum eiusdem Pastoris Pagani nomine, quem contra ARISTOBVLI Epistolas prodire fecerat, calamum strinxit, et alter Ismael egresus est responsione quadam, quam Vindicationem Sensus litteralis contra obiectiones TH. WOOLSTONI inscripsit. <sup>s)</sup>

Non ita multo post edidit *Moderatorem* suum inter infidelem et apostatam. <sup>t)</sup> Libellus hicce natales suos debet

B 3 bet

r) En eorum aliqua: *Dunces, Blackheads, Baals-Priests, Blind-Guides, Merchants of Babylon, Black-Guards of the Hell, Plato's or the Devil's Livery men, Gentlemen of the long black Robe, Murder-Texts, Ecclesiastical wolves, high Stationists, μεγίσταις, στρατεύματα τῆς Ἰνγλίας, ἔμποροι τῶν γραμμάτων, Oblatratores, Dabblers in the Fathers.*

s) *The Ministry of the Letter vindicated from the Charge of Anti-Christianism, or an Answer to Mr. Woolston's four Free-Gifts to the Clergy etc. by a COUNTRY CURATE Lond. 1724 8. pagg. 72.*

t) *The Moderator between an Infidel and an Apostate: or the Controversy between the Author of the Discourse of the Grounds and Reasons of the Christian Religion, and his Revd. Ecclesiastical Opponents; set in a clear Light. London 1725. mense Febr. 8. pagg. 178. Praefixa est ad ArchiEp. Cantuariensem directa aculeatis verbis non omnino carens.*



bet controuersis tunc ob COLLINI librum *the Grounds and Reasons of the Christian Religion* <sup>u)</sup> agitatis, cui mox adiunxit duo supplementa, in quorum altero <sup>v)</sup> de Danielis hebdomadibus Patrum profert placita, altero <sup>w)</sup> autem alias nonnullas prophetias, a Summe Reuerendo SMALBROCKIO contra COLLINI librum allatas, examinat, allegorico suo Scripturas Sacras interpretandi systemati et hic quoque patrocinatus.

Ob haec tria vltima scripta in ius fuit vocatus, quique aliarum litium arbiter esse volebat antea, suam nunc coram iudice causam defendere opus habebat. Prima autem haec persecutio, si quidem auctoris mei Anglici uti licet denominatione, mox sedata fuit WHISTONII intercessione, quo cum ab ineunte statim aetate amicitiam coluisse dicitur, licet WOOLSTONVS in scriptis adhuc editis nulla huius rei specimina edidisse mihi quidem videatur. Sequens circumstantia singularis hic silentio praetereunda non est. Fama a WOOLSTONI inimicis sparsa increbuerat, eum huius scripti non esse autorem, sed nomen tantum mutuo dedisse. Procuratori Generali (*Attorney General*) PHILIPPO YORKIO, coram quo res erat agenda, hoc quoque a magni nominis theologo, quem honoris causa Anonymus meus reticuit, narratum erat, qui ob eiusmodi insaniam stultamque vanitatem WOOLSTONO valde succensebat, et WHISTONIO, pro eo deprecaturus, iustam suam non poterat

u) Quod impium scriptum prodiit Londini 1724. *anonimus* in 8.

v) *A Supplement to the Moderator between an Infidel and an Apostate: being a dissertation on Daniel's Weeks, from the Authority of the Fathers.* London 1725. mense Nou. 8. pagg. 64.

w) *A second Supplement to the Moderator etc. or a dissertation on some other Prophecies cited by the Bishop of Litchfield against the Author of the Grounds.* Ibid. 1725. eodem mense 8. pagg. 55. Summo Angliae Cancellario KINGIO haec nuncupata est dissertatio.



rat non testari indignationem. Haec tamen WHISTONII lenita fuit testimonio perhibentis, se a teneris eum nosse, et prorsus habere persuasum, neminem alium horum schismaticatum autorem fuisse praeter WOOLSTONVM. Lite hac adhuc pendente ipse etiam noster apud Archi-Episcopum Cantuariensem intercessit; summam autem hanc in Ecclesia Anglicana dignitatem tunc ornabat WILH. WACKIUS, qui, licet a Woolstono male esset habitus, multa tamen gratia, Reuerendissimis Angliae Episcopis propria, eum excipiebat, mentem suam ab omni eum et alium quemque religionis causa persequendi studio alienissimam ipsi testabatur, eumque, vt apud se aliquantulum remaneret, rogabat, in colloquium eruditum de rebus grauissimis et patrum potissimum eruditione cum eo descendens. Et profundissimam suam doctrinam hac quidem occasione adeo commonstrauit WOOLSTONO, vt ipse etiam fassus sit, se inter omnes, quibuscum collocutus esset eruditos, neminem inuenisse, qui laudatissimo Archi-Episcopo eruditius quique maiori iudicii acumine de rebus grauissimi momenti dixisset.

Anno 1726. miraculum legionis fulminatricis defendendum in se suscepit, edita contra MOYLII dissertationem, x) qua veritatem huius miraculi in dubium vocauit, defensione satis ampla, y). Omnes et singulas de hoc miraculo

x) Quae inuenitur Operum eius posthumorum Tom. II. p. 81-390, quae Londini 1726. duobus voluminibus in 8. prodiere hoc titulo; *The Works of WALTER MOYLE Esq. none of which were ever before publish'd*; quemadmodum reliqua eius opera, ab auctore ipso edita, in vnum fuerunt collecta, et vnacum eius vita hoc titulo prodierunt: *The whole Works of WALTER MOYLE Esq. that were published by himself*, London 1727. in 8vo pagg. 285. Vide sis, *The new Memoirs of Literature*, Vol. III. M. April 1726. pag. 281. et Vol. IV. M. Septembr. eiusdem anni pag. 225.

y) *A Defence of the Miracle of the Thundring Legion, against a dissertation of WALTER MOYLE Esq.* London 1726. in 8vo pag. 112.





culo allatas ab auctoribus circumstantias tueri allaboravit, et sic non tantum a MOYLIO, sed et a SCALIGERO, VALESIO, Antonio PAGI aliisque discessit, qui quidem veritatem huius miraculi non prorsus negant, affectas tamen circumstantias quasdam illi assutas fuisse concedunt. Vtrum serio an vero per ludum tantummodo miraculi huius defensorem egerit, difficile est iudicatu. S. R. IOECHERO<sup>2)</sup> Woolstonus non infeliciter, si dicendum quod res sit, veritatem huius miraculi defendisse audit; mihi tamen, ut ut Viri huius Summe Reuerendi iudicio maxime capto, scurram egisse haud semel fuit visus, cum defensionem ipsam legerem. Whistonio inscripta est haec dissertatio, qui de eodem argumento breui ante etiam ediderat schediasma, <sup>a)</sup> cui ob praestitum amicitiae singularis officium, in sedanda nupera persecutione, gratias persoluit publicas, easque eo maiores, quo minus id ipsum de eo meruisse fatetur, qui sapius de eo haud amica tulisset iudicia.

Agmen tandem eius scriptorum claudunt disquisitiones de miraculis optimi nostri Seruatoris, quarum sex prodierunt fasciculi, <sup>b)</sup> quibus binas quoque earum adiecit apologias. <sup>c)</sup> Quam blasphemum sit argumentum quod

2) Citatarum Dissertationum Dissertat. Ima pag. 6. in nota.

a) *Of the Thundring Legion, etc. occasion'd by Mr. MOYLE'S WORKS Lately publish'd. By William WHISTON.* in 8vo Lond. 1726. pagg. 63.

b) Hac inscriptione: *A Discourse (a second, a third etc. discourse) on the Miracles of our Saviour, in View of the present Controversy between Infidels and Apostates.* Londini in 8vo. Imus fasciculus prodit 1727. M. April. pagg. 70. IIdus M. Octobr. pagg. 72. IIlus 1728. M. Febr. pagg. 72. IVrus, M. Maio 1728. pagg. 71. Vtus M. Octobr. 1728, pagg. 71. et VIus tandem ao. 1729. M. Febr. pagg. 71.

c) *Mr. Woolston's Defence of his Discourses on the Miracles of our Saviour, against the Bishops of St. David's and London, and his other Adversaries Part. I. Lond. 1729. in 8vo. pagg. 71. Part. II. ibid. 1730, pagg. 71.*



scriptis hiscè tractauit, vt multis referam non est opus; omnibus enim satis superque cognitum esse existimo, quod insanum suum Scripturas Sacras mystice explicandi systema miraculis quoque Sanctissimi Seruatoris applicauerit, eademque mystice etiam intelligenda esse probare, et eundo per partes de quibusdam in specie id euincere allaborauerit. Singulis fasciculis praefixae sunt dedicationes ad vnum aut alterum Ecclesiae Anglicanae Episcopum directae. Neminem enim nisi Ecclesiae praesulem hoc honore dignum iudicauit, <sup>d)</sup> licet nullo alio consilio, quam vt eos, quibus disquisitiones suas inscripsit, scurrili dicacitate replere, grauissimos viros indignis modis aperte ludificari, nouaque metho- do, per dedicationes scilicet, eos calumniari posset audacter.

Forte non iniucundum erit eorum nosse nomina. En catalogum: Primam dicauit Edmundo, Londinensi Episcopo; Edmundo scilicet GIBSONO, cuius ob multa haud vltimi momenti edita scripta celebre in Ecclesia pariter ac Republica Litteraria nomen est, qui hodie adhuc huic sedi cum summa laude et auctoritate praeesit. Hunc ob nimium in religione zelum, et ob mentem ad seculum sentientes perse- quendos facile procliuem perstringit. Altera consecrata est Edwardo, Couentriae et Lichfieldiae Episcopo, Edwardo nimirum CHANDLERO, qui ab anno 1717 ad 1730 huic sedi praefuit, ad Episcopatum Durhamensem postea transla- tus, meo, quod in Anglia egi, tempore adhuc superstes, at- que ob egregium scriptum, quo veritatem religionis Chri- stianae contra impium Collini librum *The Grounds and Rea- sons* etc. vindicauit, maxime celebris; ob hoc ipsum tamen solidissimum et elegantissimum opus a WOOLSTONO ri- su exceptus. Tertia inscribitur Richardo, S. Dauidis Epi-  
C scopo.

d) In praef. ad VI tam disquisitionem: *for I am resolv'd, that none but Bishops as yet shall have the honour of my Dedications.*



scopo. Hic est Richardus SMALBROKE, qui anno 1730 Chandlero in sede Lichfieldensi succedere iussus est, qui- que anno modo praeterito itidem adhuc in viuis erat, de quo mox plura. Hunc ob sermonem contra se pronuncia- tum in societate, quae morum reformationem promouere studet (*The Society for Reformation of Manners*) ludibrio habet. Quarta nuncupatur Francisco, Episcopo Sancti As- saphi. Hic est Franciscus HARE, qui ab anno 1727 hanc sedem ornauit, postea vero 1731, Cicestriensi Episco- patui praefectus, anno 1740 obiit. <sup>e)</sup> Hunc ob ser- monem, quem de auctoritate Ecclesiastica (*Church Autho- rity vinticated*) edidit, valde fugillat; reluctante enim con- scientia, vt saltem idiotas quosdam in Ecclesia (*some Eccle- siastical Noodles*) sibi reconciliaret, sermonem hunc conscri- ptum fuisse, vel exinde probat, quod alii ab eodem antea edito sermone, (*Difficulties and Discouragements etc.* in- scripto, quem admiralem hodiernae orthodoxiae et perfe- ctionis Satyram vocat) prorsus sit contrarius; quodque COL- LINVS, quem *The Great Mr. Grounds* vocat, cuius in Acade- mia Cantabrigiensi tutor siue praeceptor priuatus olim fuerat Hareus, notiones suas de religione ex eius institutione tantum hauserit, et praeceptoris sui principiis vnice inhaeserit, <sup>f)</sup> quem exinde etiam ad dignitatem Episcopi itidem euectum  
iri

e) HAREANO nomini celebritatem in hac nostra quoque Academia con- ciliauit Summe Reuerendus Dominus D. WEISIVS, Praeceptor ad cineres vsque venerandus, qui eo, quo solet, edecumatae doctrinae am- plissimo adparatu, programmate 1740 edito, *Systema Psalmorum me- tricum* ab HAREO adornatum delineauit et sub examen vocauit, eodem- que anno aeternae diuinitatis Christi Ps. II, 7. assertae argumentum ab obiectionibus Hareanis vindicauit. Sedem HAREI morte vacuam, occupauit et adhuc tenet *Dr. Matthias MAWSON*, qui ab an. 1729 Sedi Llandaffiensi praefuerat.

f) *How does he imitate and resemble his Tutor in Principles! I can't say he surpasses you since there is such a Freedom of Thought and Expression in your Difficulties etc. so strongly favouring of Infidelity, that he has*



iri et auguratur et animitus precatur. Quintam sacram esse voluit Thomae, Episcopo Bangoriensi, qui fuit Th. SHERLOCKIVS, anno 1734 emortuus, quem ob librum de vsu et fine prophetiarum male admodum habuit. Vltimam tandem Ioanni, Oxoniae tunc Episcopo, dicauit, Ioanni scil. POTTERO, qui anno 1737 ad Archi-Episcopi Cantuariensis dignitatem euectus, atque WILH. WAKIO succedere iussus fuit, Vir ingenii acumine singulari, doctrinae amplitudine, muneris splendore, eximiisque prorsus in Ecclesiam pariter ac omnem rem litterariam meritis non Anglis saltem, sed et exteris venerabilis, mihi que ob singularem inprimis, qua peregrinum me excipere haud fuit dedignatus, gratiam colendissimus; Reuerendissimo huic viro ideo obtulit libellum suum, vt eius modo sermonem de patientia passua posset infamare.

Imo impudens hominis audacia eo processit, vt nec Regiis quidem personis pepercerit, sed et purpuram quoque rodere haud fuerit veritus. Huius rei fidem facere potest prima eius apologia, Magnae Britanniae Reginae consecrata. Integram hanc dedicationem quin adponam, mihi temperare non possum vel ideo, quod ob satyram lectu haud iniucundam fore confido. Ita autem Reginam, cuius mortem pietas et musae adhuc quoque dolent, allocutus est: <sup>g)</sup>

R E G I N A ,

*Non multum ante Episcopus St. Davidis vindicationem suam Regiis Tuis manibus commisit, quod et ego, dum hanc*

C 2

*Tibi*

*has not as yet equall'd.* Ita de HAREO, facta cum COLLINO comparatione, iudicat Woolstonus in citata dedicatione pag. V.

<sup>g)</sup> MADAM,

*Not long since the Bishop of St. David's presented to Your Majesty his Vindication; as I would have done this my Defence, if I had known how to get Access to Your Royal Presence.*

*Your*





Tibi dedico defensionem libenter fecissem, modo aditum ad  
 sacratam Tuam personam mihi parare sciuissem. In-  
 telliget Maiestas Tua exitiabile circa miracula bellum, inter  
 Episcopum et me exarsisse, quod, quantum conicere possum  
 ego, non sine largissima verborum effusione geri, nec, nisi  
 Maiestas Tua litem componat, sine multa notionum et ar-  
 gumentorum internecone confici poterit. Episcopus Re-  
 giam Tuam Maiestatem controuersiae nostrae iudicem postu-  
 lauit, cui non repugno; multusque est in extollenda singu-  
 lari Tua moderandi eam habilitate, de qua ego quoque  
 prorsus non dubito, certissime persuasus, Episcopum nec men-  
 dacia posse proferre, neque blanditias adhibere. Si ta-  
 men antea de Tua in decidenda hac controuersia dexteri-  
 tate mihi constitisset, citius Tibi plausus meos eam propter  
 detulissem, et unusquisque mihi potius, quam ulli fidem adbi-  
 buisset, vipote qui eo consilio Te non laudassem, ut mihi ali-  
 quando locum, aut meliorem conditionem inter Episcopos face-

Your Majesty will perceive, that here's a sad War broke out between the Bp.  
 and myself, about Miracles; which in all probability, will cost a large  
 Effusion of Words; and, unless Your Majesty can accommodate the Dif-  
 ference, will hardly be terminated without the Slaughter of many Notions  
 and Arguments.

The Bp. is for making Y. M. the arbitress of our Controversy, which I con-  
 sent to; and he talks of Your singular Qualifications to preside at it,  
 which I as certainly believe, as that a Bishop will nor lye nor flatter.

Had I known before of Your Majesty's Abilities at this Controversy, I should  
 have gone near to have applauded You for them; and the World would  
 readily have believed my Praises of You to be just, because I had no Bishop-  
 rick nor Translation in View for them.

If Your Majesty has no extraordinary Talent at this Controversy, I trust,  
 You are wiser than to think the better of Your self for the Bp's Compli-  
 ment. You'll not be vain; tho' he is folsome.

But the Bp. Madam, has done me wrong. He would insinuate, that I am  
 disaffected to the Kings Title, and Government; which is entirely false.

I love and honour Your whole Royal Family, and often pray for Your Maje-  
 sty to, without Pay, which is more than any Bishop in England has do-  
 ne for You.



*faceres. Quod si Tua Maiestas singularibus animi dotibus ad hoc negotium se non sentit instructam, (prudentiorem enim Eam confido, quam ut ornata, sic ab Episcopo inani verborum luxuria indulgentius iam de se sentire queat) in vanitatem abripi se non patietur; humile enim blandiendo turpiter iste sese dedit miserime. Ast Regina ab Episcopo iniuria mihi facta est, persuadere enim Tibi conatur me offenso animo in Regis titulum regiumque imperium esse; quod tamen oppido falsum. Amore pariter ac honore totam Tuam Regiam progeniem prosequor, saepiusque et pro Tua Maestate preces fundo, nullis annuis redivitis ad eas conductus; quod dum facio, melius sane de sacratissima Tua persona mereo, quam ullus in Anglia Episcopus unquam meruit.*

Verum non impune WOOLSTONVS tam atroces religioni intulit iniurias; sed complures, iique magni nominis inter Anglos viri, suarum partium esse duxerunt, eas eruditae contra eum in lucem emissis lucubrationibus abstergere non modo, sed et civilis magistratus inultas impunitasque eas dimittere haud potuit. Eorum, qui contra WOOLSTONVM calamum strinxerunt, catalogum hic dare non est nostri instituti, factumque fuit accurate a S. R. IOECHERO.<sup>h)</sup> Id tantum reticendum non est, in magnas Cleri Anglicani laudes cedere, quod, cum de gloria Christi iam dimicandum esset, frequentes admodum nec infimae in Ecclesia dignitatis viri prodierint, qui tamen antea, cum de sua gloria, a WOOLSTONO per Moderatorem valde fugillata, ageretur,

C 3 suam

<sup>h)</sup> In Diss. Ima §§. III. IV. V. et in diss. III<sup>ta</sup> pag. 49. seqq. Reticere tamen hic minime possum. Maxime Reverendi CHRISTOPHORI WOLLII schediasma historico-theologicum, de Iesu spirituali in Anglia rediuvio, quod Lipsiae 1730. in 4. contra THOMAM WOOLSTONVM edidit, et quo insignem nominis sui apud Anglos celebritatem sibi peperit.



suam causam negligebant, et grauissimas iniurias ordini suo inferri aequo animo patiebantur. Prodiit inter alios quidam GEORGIUS WADE <sup>i)</sup> Th. D. quem WOOLSTONVS si vixisset, sique scribendi libertatem nactus esset, imprimis refutasset, eius lucubrationem prae reliquis omnibus accurata sua consideratione dignissimam iudicans.

Caeteroquin obseruavi ego Reuerendissimum Episcopum Lichfieldensem, Rich. SMALBROKE scripto suo, quod WOOLSTONO opposuit, <sup>k)</sup> eundem apud suos, quem apud nos habet, non tulisse adplausum. Valde enim eius famam et eruditionem fugillatam a compluribus fuisse memini, imprimis ob minus felicem, vt ipsis videbatur, vindicationem illius miraculi, quod optimus Seruator in agris Gergesenorum edidit, daemones e duobus obsessis eiiciens in porcorum gregem ruentes, eumque in lacum praecipitem dantes. <sup>l)</sup> Hinc fieri narratum mihi fuit, vt a partibus eius minime stantes, indigniusque de eo sentientes ipsi semper ad latus porcum vel porcorum gregem pingant. Quoties enim in picturis famosis, quae, in Anglia cum viuerem, quotidie fere ob motus Walpolianos aeri incisae publici iuris fiebant, Episcopus hicce in scenam erat protrahendus; (erat scilicet vnus ex istis qui *Walpolio*, nunc Comiti Orfordensi, minus fauebant) semper prodibat persona Episcopi vestitu ornata et

<sup>i)</sup> *Two discourses: the first an appeal to the Miracles of Jesus as Proofs of his Messiahship: the second, a Demonstration of the Truth and Certainty of his Resurrection from the Dead.* Londini 1729. in 8vo pagg. 54. Prima ad Math. XI, 2-5. secunda ad 1. Cor. XV, 20.

<sup>k)</sup> Quod ita inscribitur: *A Vindication of the Miracles of our blessed Saviour.* Duo huius scripti volumina prodierunt, alterum Londini 1729. in 8vo pagg. 478. alterum ibidem 1731. pagg. 592.

<sup>l)</sup> In priori vindiciarum suarum parte Cap. IV. hoc miraculum contra insultus Woolstoni defendere fategit.



et porcorum societate stipata. Immo in eiusmodi pictura quadam famosa, quae *The Motion* inscribatur, sequentes de eo rhythmos dialecto barbara, qua Gallorum linguae Anglicae pronuntiatio ludificatur conceptos, et in plateis ubique publice decantari solitos, de eo adiectos inueni:

*What Parson's he dat bow so civil?*

*O, dat's de Bishop who split the Devil,*

*And made a Devil and a half, and half a Devil.*

I. e. quisnam est sacerdos iste, qui tam polite se se incuruat? Hic sane est Episcopus, qui diabolum diffidit medium, et sic effecit, vt nunc supersit integer diabolus, vna cum semidiabolo et altero semidiabolo; siue quod idem est, qui bonam causam, pessime defendendo, longe peiorem reddidit. Haec tamen ad minuendam Episcopi huius meritissimi inter nos existimationem prorsus dicta non sunt!

Sed redeo ad WOOLSTONVM, qui cum solidissimis multorum virorum scriptis ad meliorem frugem redigi non posset, semperque audentior contra iret; in forum iterum fuit protractus. Anno scilicet 1729 mense Martio ad summum in Anglia tribunal (*King's Bench*) euocatus, et summae impietatis, ob quatuor priores tantum, quos de miraculis optimi Seruatoris conscripsit libellos, quibus magis blasphemii a Christo nato haud fuerint conspecti, Regis iussu a Regiis Consiliariis duobus et ab alio quodam, TVSKIN nomine, fuit accusatus. Et licet partim ipse omnia ad suam defensionem conquireret, nec a mordaci sua dicacitate hic quoque desisteret; <sup>m)</sup> partim etiam BIRCH quidam, cuius nomen non ita pridem Senatus populiue Anglicani consensu

m) Palam enim, declarabat, se non ob Christi impugnata miracula, sed ob Clero exprobrata vitia in ius fuisse vocatum, quod vel ipse Archi Episcopus



senſu (*by Act of Parliament*) in WHIRLEY fuit mutatum, ſe-  
 vltro cauſſae eius patronum afferret, nullis commodis in-  
 hians ſed ipſe adhuc litis expenſas ferens; licet etiam hic de  
 competentia fori praefertim exciperet, maximeque vrgeret,  
 tantum abeſſe vt WOOLSTONVS Christianam doctrinam  
 ſuis ſcriptis euertere, aut dicteriis adficere intenderit; vt  
 eam potius firmiori fundamento ſuperſtruere fuerit conatus;  
 tamen horum ſcriptorum reus fuit pronunciatus, ſenten-  
 tiamque accepit, qua per anni ſpatium carceri includendus  
 mulctaque 100 librarum (pro ſingulis ſcilicet diſquiſitionum  
 ſuarum fasciculis 25) erat afficiendus, et qua, facta inſuper  
 ab eo 2000 librarum Anglicarum ſponſione, fidem praefta-  
 re, nolle ſe, quoad viueret, ad ingenium priſtinum redire, iu-  
 bebatur, probaeque impoſterum vitae praedes, ſiue duos,  
 ſiue quatuor, qui itidem de aliis 2000 libris cauerent, ſiſte-  
 re tenebatur. Hanc in Woolſtonum latam ſententiam ali-  
 ter S. R. IOECHERVS, aliter anonymus meus retulit; ſed  
 nos eam ex ipſis actis huc adpoſuimus, quae ab iis, qui plu-  
 ra hac in re edoceri cupiunt, omnesque in vtramque par-  
 tem allatas rationes legere auent, hic conferri et in libro in-  
 fra<sup>n</sup>) nominando inueniri poſſunt.

Quam

ſcopus Cantuarienſis probe intellexerit, vtpote qui, cum de editis ſuis  
 libris et de mota eos propter perſecutione ſecum aliquando fuerit  
 locutus, optauerit modo de paſtoribus mercenariis tam multa non pro-  
 tuliffet; et hoc ipſum eſſe quod ſtomachum Clero moueat.

<sup>n</sup>) In libro nimirum Anglico, qui inſcribitur: *Select Trials at the Sessions-  
 Houſe in the Old-Bailey, from the Year 1720. to this Time*, qui liber Lon-  
 dini prodiit 1742. in IV. vol. in 8. In eius Tomo III. pag. 113. ſeq.  
 inuenire eſt *the Trial of Mr. Thomas Woolſton B. D. for Writing  
 and Publiſhing four Books on our Saviour's Miracles, at the Court of  
 King's Bench, in Guild-Hall, on Monday, Murch. 9, 1728-9.* Et pag. 121.  
 contra Woolſtonum pronunciata ſententia his verbis concepta legen-  
 da eſt: *The Iudgment againſt him was, That he ſhould pay a Fine of  
 100 l. ſuffer a Years Impriſonment, and give Security for his good Be-  
 haviour*



Quam valde auctor meus pro ea, qua est amicissima in WOOLSTONVM mente, hanc contra amicum suum latam sententiam improbet, facile comprehendere poterit vnusquisque; legibus enim et libertati istius regni prorsus contrariam non clamat eam modo, sed et aeternum Ecclesiae Anglicanae opprobrium fore dolet, in eius annalibus relatam legi, virum quendam, de litteris egregie merentem, persecutione religionis caussa oppressum, vitam in carcere finiuisse. WOOLSTONVS enim custodiae commissus, cuius liberiores tamen conditionem pecunia sibi procurauerat, (*the Liberty of the rules of King's Bench*) post elapsum annum ex carcere non fuit dimissus, sed ad mortem vsque in eo detentus. Centum enim mulctae loco sibi dictatas libras non poterat soluere, et amicis praeterea officium sponsonem pro se praestandi imponere verebatur ideo, quod nunquam sibi proposuerat calamum a scribendo cohibere. Huius caeteroquin perpetui carceris haud leuem caussam, nec, si eius cuius fide haec refero iudicio vtendum est, sine summo crimine, sustinuit vir quidam amplissimae fortunae, qui WOOLSTONO omnes expensas, quas haec persecutio requireret, suppeditare promiserat quidem, sed ne vnicum denarium vnquam, saepius licet monitus, subministrare voluit.

Ast ne prolixitatis nauseam secum ferat epistola, in compendium quae de vita WOOLSTONI dicenda adhuc habeo redigam, nec multis inquiram, an, quod Reuerendiss. Lichfieldiae Episcopus <sup>o</sup>) perhibuit, Quackerorum ample-

D

xus

*haviour during life; himself in a Recognizance of 2000. l. and two Sureties in 1000. l. each, or four in 500. l. each.*

<sup>o</sup>) In citato libro quem inscripsit: *a Vindication of the Miracles of our blest Saviour etc.*





xus sit stultam religionem; an vero, quod alii volunt, <sup>p)</sup> relictis penitus Christianorum sacris ad Iudaeorum castra transferit WOOLSTONVS. Certe enim persuasus sum, eum omni omnino religione fuisse destitutum, nec doctrinam Christianam magis detestabilem vnquam inimicum eo habuisse, si a Thoma MORGAN recedam, auctore impientissimi scripti, *The Moral Philosopher*, qui hisce adhuc diebus omne in religionem Christianam virus euomere conatur, et quo pestilentiozem nulla certe aetas tulit Christi inimicum. Hoc tantum silentio praeterire non possum, WOOLSTONVM ob impia sua scripta publicam non luisse modo poenam, sed et priuatorum praeterea etiam sensisse indignationem saepenumero. In ipso ne quidem carcere a multorum insultibus tutus fuit. Inter alios stupidus quidam homo bis in conclaue eius irrupit, et infensissimum Seruatoris sui inimicum manibus, plagis et ictibus haud leuis sane momenti refutare aggressus est, vitamque ipsi eripuisset, nisi alius accessisset, qui maiori adhuc robore et validioribus manibus labantes WOOLSTONI partes sustinuisset, aduersariiue repressisset conatus. Alio tempore, cum animi recreandi causa inambularet in loco quodam publico, obuiam ipsi fiebat foemina aetate non multum prouecta, nec inelegantis formae, quae defixis in eum oculis ita eum alloquebatur: *Ecquid scelerate laqueus cervicem tibi nondum fregit? Cui ille: oculis te nunquam vidi; quid quaeso damni tibi factum abs me? Scripsisti, respondit illa, contra Seruatorem meum; quaenam foret animae meae, tot peccatis onustae, miserrima conditio, nisi*  
Serua-

p) Vide Fortgesetzte Sammlung von alten und neuen theologischen Sachen, 1729. pag. 1042. et WILLIAM FILLY *Preservative against the growing Infidelity and Apostacy of the present Age* London 1729. in 8vo pag. 63.



\* \* \*

*Seruator meus pro eiusmodi peccatoribus fecisset satis?*  
 En huius rei aliud adhuc exemplum. WOOLSTONVS  
 priusquam in se lata esset sententia, amicum suum vetera-  
 num, WHISTONIVM aliquando conuenire volebat;  
 simulac autem museum vix ingressus et ab eo conspectus  
 esset, WHISTONIVS, eius aspectu non aliter perterri-  
 tus, ac si Hannibal ante portas esset, statim prosiluit, eum-  
 que procul abesse, domoque confestim egredi iussit.  
 WOOLSTONVS infueta hac salutatione attonitus, inter-  
 rogabat quamam iniuria ipsum affecisset? Cui ille multum  
 concitatus statim respondebat, disquisitionibus eius de mi-  
 raculis Christi iniuriam sibi illatam fuisse. WOOLSTO-  
 NVS omni quo poterat modo iram huius Viri permulce-  
 re, eumque ad pristinam totiesque sancte stipulatam ami-  
 citiam, qua, si vnquam ante, nunc maxime opus haberet,  
 reducere conabatur, ast frustra, furdo enim haec omnia  
 narrabat, qui vel ipsam eius vmbra sibi exosam esse con-  
 tinuo clamabat.

## D 2

## Multus

q) Tale etiam IOHANNIS Euangelistae in CERINTHVM fuit odi-  
 um, vt ex POLYCARPI ore refert IRENAEVS Lib. III. adu. hae-  
 ref. Cap. III. p. 177. Edit. Benedict. quam Renatus MASSVET de-  
 dit Paris. 1710. et post eum EVSEBIUS Hist. Eccles. Lib. III. Cap.  
 XXVIII. pag. 123. Edit. Cantabrig. quae Celebr. GVIL. READING cu-  
 ra prodiit 1720. alique; hic cum lauandi caussa balneum introiisset,  
 et CERINTHVM intus esse cognouisset, statim ex illo loco aufugit,  
 cum ne quidem tectum idem cum CERINTHO subire sustineret, hor-  
 tatusque est suos comites, vt idem facerent, fugiamus aiens ne bal-  
 neum corruat, in quo CERINTHVS est veritatis hostis. Forte hoc  
 WHISTONII odium affectatum quibusdam videbitur, et vel ideo fal-  
 tim praetextum, quo veram et orthodoxam Christi doctrinam eadem  
 ad minimum, qua Sanctus Euangelista aemulatione curae cordique ha-  
 buisse videatur. Ast pro ea, qua se mihi et omnibus, qui eum noscunt,  
 mirifice commendauit animi ingenuitate optimo id factum fuisse ani-  
 mo credo, eumque a seruo alios imitandi studio et ab humili vanitatis  
 eiusmodi aucupio longe alienum iudico.



Multus praeterea auctor meus est in recensendis WOOLSTONI virtutibus, probrigue animi notis, quas vel ideolibens omitto, quod WOOLSTONVM laudare, et aethiopem dealbare, idem prorsus credam negotium. Nam, si etiam ad credendum facilis esse vellem, mihi que persuaderi paterer, WOOLSTONVM tantum per ironiam sensum spirituales defendendum in se suscepisse, in quam sententiam noster lectorem tacite adducere velle mihi videtur, quando, facta scriptorum WOOLSTONI mentione, excusationis quasi loco COLLINI *discursum de Ironia et ridiculo* valde simul commendat; tamen vel hoc ipsum quoque eum ab omni virtute alienissimum declarat, eiusque insuper erga amicos et patronos adhibita scurrilitas pessimae mentis notam ipsi non potest non inurere apud probos quoscunque.

Miror celeberrimum SAM. CLARKIVM, si vera retulit noster, WOOLSTONVM a captiuitate, poenae loco ipsi dictata, liberare conatum fuisse, atque, non quidem quod impiae eius doctrinae subscriberet, sed quod eius carcerem libertati Christianae pariter ac Anglicanae contrarium putaret, apud iudicem hanc ob causam pro WOOLSTONO intercessisse. Laudabili tamen et honesto huic instituto eum immortuum fuisse noster dolet, qui itidem refert, quod amici nonnulli de WOOLSTONO custodia eximendo non multum ante eius mortem serio etiam cogitauerint, quae 1733 die vicesimo septimo Ianuarii, hora noctis nona, secuta est, et cuius hanc addit relationem.

Morbo

r) Ita enim pag. 21. *To what I have said of Mr. Woolston's Works I will add only a Recommendation of Mr. Collins's Discourse on Irony and Ridi-*



Morbo quodam epidemico et ventris insuper obstru-  
 ctione per quatuor dies male affectus, paulo ante mortem  
 sedebat in cubiculo suo ad ignem, mortis autem sentiens  
 nuncios lecto sese imponi curabat, et egregiam cum di-  
 uina voluntate consensionem, animique serenitatem mon-  
 strabat. Paucis ante extremum halitum momentis, has  
 edidit voces: *Hoc est certamen, cuius mortalium sub-  
 eundum, cui non patienter solum, sed et libenter memet  
 committo.*<sup>s)</sup> Quibus prolatis suis sibi ipse digitis ocu-  
 los et labia compressit, et sic spiritum efflauit caelebs.  
 Die XXX Ian. sepultus fuit in coemetrio, quod templum  
 Sancto Georgio sacrum adiacet, in ea Londini parte situm,  
 quae trans Thamesin est, et *Southwark* vocatur.

Non abs re fore credo, Lectorem, priusquam eum di-  
 mittam, adhuc monere, Thom. WOOLSTON cum William  
 WOLLASTON, quod nomen idem fere sonat, minime de-  
 bere confundi. Licet enim aequales tempore fuerint,  
 ambo Cantabrigiae in eodem Collegio litteris diuini-  
 operam nauauerint, et vterque Londini vixerit: ingenio ta-  
 men atque in religionem Christianam affectu longe fuerunt  
 diuersi. Quemadmodum enim prioris nomen ob impia con-  
 tra religionem molimina Ecclesiae semper erit exosum: Sic  
 posteriorem laudes semper honorque suus manebunt ob egre-  
 gium, quo veritatem religionis Christianae tuitus est, li-  
 brum, quem *The Religion of Nature delineated* inscripsit.<sup>t)</sup>

D 3

Ad

*Ridicule; which seems to have been occasioned by Mr. Woolston's Dis-  
 courses on the Miracles, and his Prosecution for them.*

s) *This is a Struggle which all Men must go through, and which I bear not  
 only patiently, but with Willingness.*

t) Sextum hic liber excusus fuit Londini 1738. in 4. cum praefatione,  
 qua de vita, animi caractere et scriptis huius meritissimi Viri, qui  
 Londini 29. Oct. 1724. e vita discessit, nullumque officium publicum  
 gessit



Ad scripta WOOLSTONI adhuc semel redeo, atque silentio praetereundum minime esse existimo, quod in vnum fuerint collecta, et WOOLSTONI OPERVM nomine subinde in bibliopoliis Londinensibus ea profare inuenerim. Ex instituto quidem praelo denuo non fuerunt subiecta, sed quum omnia in eadem forma octopartita prodierint, a bibliopolis saltem residua eorum exemplaria ita fuerunt ordinata, vt quinque iustae magnitudinis constituent volumina. Quo ordine autem in singulis voluminibus sibi inuicem succedant scripta, adposita hanc ob causam in inferiori paginae parte nota <sup>u)</sup> lectorem docebit. Praelo paratum quoque adhuc scriptum quoddam post se reliquit WOOLSTONVS, quod ad Reuerendiss. Lichfeldiae Episcopum SMALBROKIVM directum est, et cuius aliquando edendi spem fecit auctor meus anonymus, quod tamen quantum ego scio lucem publicam nondum vidit, eaque forte non dignum erit.

Et

gestit vnquam, agitur, pagg. 219. Paucorum annorum spatio plus quam decem millia huius libri vendita fuisse exempla, in citata praefatione narratur.

u) VOLUMEN I. Sex eius de miraculis continet disquisitiones. VOL. II. exhibet 1. *Two Defences of the Discourses*, 2. *Old Apology revived*. VOL. III. sistit 1. *Four Free Gifts to the Clergy*, 2. *Answer to his four Free Gifts*, 3. *Dissertationem de Pontii Pilati Epistola ad Tiberium*, VOL. IV. comprehendit 1. *The exact Fitness etc.* 2. *A defence of the Miracle of the Thundring Legion*, 3. *Two Letters to Dr. BENNET* 4. *His Answer to the said two Letters*. VOL. V. exhibentur 1. *The Moderator*. 2. *Two Supplements to the Moderator* et tandem 3. *Origenis Adamantii Epistolae*. Si pretia, quibus scripta *Woolstoniana* venum iuerunt, et quae in calce titulis semper significantur, in vnum computentur, nouem circiter Ioachimicis constarent eius opera omnia; sed cum scriptorum eius paucissima tantum superfuerint exemplaria in vnum sic colligenda, maius ipsis etiam statutum fuit pretium, ita vt opera WOOLSTONI in Summe Reuerendi IOH. VOGTII Catalogo librorum rariorum locum sibi iure meritoque vindicent.



Et haec sunt, quae de vita et scriptis WOOLSTONI in medium adferre volui; nihil itaque restat agendum, quam ut honores in VOS, CLARISSIMI VIRI, collatos sociorum et meo nomine VOBIS gratuler. Ecquis vero est, qui VESTRAM illam litteris hucusque nauatam industriam, qua ad cognoscenda litterarum latifundia non duci, sed rapi videbimini, illam ingenii felicitatem, illam vitae integritatem, illam denique morum elegantiam dudum non perspexerit, admiratus fuerit, vosque propterea honestissimis praemiis dignos iudicauerit? Constat enim hodiernum virtuti et industriae sua laus, suus honor. Inde est quod Amplissimus Philosophorum Ordo summis vos in philosophia honoribus maectauerit. Neque vllum relinquitur dubium, quin idem honor, quem VOBIS noua dignitas peperit, accessurus quoque sit Ordini, quem nominibus VESTRIS auctum felicissime cernimus. Has itaque dignitatis primitias VOBIS, CLARISSIMI VIRI, toto gratulamur pectore, atque longe felicissimas esse ex animo iubemus, DEVM T. O. T. Q. M. precibus deuotissimis inuocantes, ut vos, quos excellentissimis animi dotibus copiose instruxit, pari corporis robore per longam annorum seriem velit esse superstites. Sic habebunt non modo PARENTES SVMME REVERENDI atque SPECTATISSIMI de quibus valde laetentur, sed et habebit Ecclesia et respublica litteraria ornamenta et incrementa certissima, amplissima. Sic quibus felicissima studiorum praemia nouosque honores gratulentur habebunt amici VOBIS conuictores, quorum nomina cum coniunctissima voluntate non possum non hic adponere: EMANVEL GOTTLOB LANGBEIN, Dresdensis. CHRISTOPHORVS FRIDERICVS DE LEIPZIGER, Eques





Eques Sax. Et qui conuictorum votis accessit IOANNES ANDREAS THOMAE, Lipsiensis.

De me vero sic velim existimetis, me in vos strenue colendo, et, si ita vultis, redamando nulli fore secundum, nec vno vnquam tempore a fide et amicitia, quam vobis me debere gaudeo, alienatum iri. Valet VIRI CLARISSIMI, meque, quod valde in votis habeo, favori et amori VESTRO habete commendatissimum. Dabam Lipsiae IX. Kal. Mart. MDCCCXXXIII.



STOPHORVS FRIDERICVS DE LEIPZIGER, GOTTLIB LANGEBIN, Dresden. EMANVEL. amici vobis conuictores, quorum nomine cum conuictissimi voluntate non possum non hic adponere: EMANVEL. GOTTLIB LANGEBIN, Dresden. CHRISTOPHORVS FRIDERICVS DE LEIPZIGER, Eques







